

## CONCIO II.

BONA MUNDI, QUÆ DIABOLUS VÆNALIA  
PROPONIT, QUALIA.

I. Bona mundi inania. — II. Permixta incommodis. — III. Fluxa et momentanea. — IV. Pauca. — V. Promittuntur, sæpius non dantur. — VI. Caro venduntur.

## THEMA.

*Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum.*  
Matth. IV.

Miramini forsitan, auditores, quid sibi velit Ecclesia, quod hoc potissimum tempore quadragesimali adeo nos urget et invitat ad bona opera patranda, ad jejunium, orationem, eleemosynas, verbi Dei et missæ frequentationem, ad penitentiam et communionem, ad morum honestatem vitæque continentiam: sed desinite mirari. Tempus hoc nundinarum est spiritualium, in quo Christus Dominus (uti videbimus post octiduum) proponit nobis vænales regni sui divitias in monte excelso, idcirco nunc hortatur nos Ecclesia, ut monetam nobis paremus, qua comparare divitias illas possimus, et quidem in epistola hodierna: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, etc.* II. Corinth. VI. Verum enim vero, quemadmodum nullæ sunt nundinæ, ubi non convenient aliqui etiam impostores, qui vano mercimonio homines decipiant, depravatas illis merces pro bonis obtrudendo; ita non deest veterator ille dæmon, qui et ipse in monte alto suas explicat merces et vænales toti mundo proponit, jactat et commendat, imo eas hodie ipsi Christo offerre ausus est, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed attendite, auditores, quid et a quo mercemini. Quare hodie inspicimus merces diaboli, post octiduum merces Christi: postea vos eligit.

I. Bona quæ offert, inania sunt et sæpe fictitia tantum: uti ostendit imaginaria illa representatio regnorum mundi et gloriæ eorum. Quomodo enim dæmon super uno monte, quantumvis excelso ostendere possit revera omnia mundi regna et ornatum eorumdem? Quis tam altus in orbe mons? Et si esset, quomodo corporeus oculus acie sua perustrare eodem momento totum mundum posset cum omni sua gloria? Fuit ergo phantastica tantum adeoque inanis ista representatio, quomodo Zeuxis Heracleotes decepisse fertur aves, pingendo uvas tam absolute, ut eas tamquam veras capturæ advolarent. Et Zeuxon ipsum Parrhasius, pingendo linteum seu cortinam tam artificiose, ut Zeuxes peteret

ea remota ostendi sibi picturam, ut putabat subtus latentem, Plinius, libro XXXV. capite X. Ita dæmon primo, sæpe mera figmenta monstrat ad instar lamiæ illius, quæ ut refert Phitos-tratus, I. de vita Apollonii, capite V. fingens se velle nubere Melippo juveni, plurimas divitias et omnis generis ornatum, unaque convivium splendidissimum vino et dapibus instructum ostentabat, quæ tamen omnia cum Apollonius diceret fictitia esse, subito evanuerunt. Ita dæmon olim S. Antonio objecit in itinere discum argenteum, et auri massam, quæ tamen perspecta in fraude, mox evanuerunt, ut in ejus vita. Ita Radbodo representavit splendidissimum palatium, quasi cæli regiam, quo eum retraheret a baptismo, quod et obtinuit, ut alibi vidimus. Deinde pingit suas merces, ut veræ ac solidæ videantur, quæ tamen in veritate vapor tantum ad modicum parens, nihil solidi boni continentes, quia nimirum viventibus tantum commodi aliquid adferunt, mortuis nihil prosunt, sed cum morientibus moriuntur. Carbones sunt nigerrimi quos tamen afflatu et astu suo dæmon splendere facit instar carbunculi, gemmæ pretiosissimæ. Ideo Dominus ait Job XLI. *Halitus* (id est suggestio) *ejus prunas ardere facit.* Sic divitias, quas apostolus vocat *stercora*, et Habacuc, cap. II. *densum lutum*, representat velut fulgentes stellas; meretricem velut sidus; honorem velut coronam aut diadema, etc. Ita representavit primis parentibus pomum vetitum, velut lignum vitæ, habens aliquid divinitatis ad aperiendos oculos, etc. *Vidit enim mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis, etc.* Ecce non pulchritudinem tantum, sed et suavitatem pomi representavit oculis Evæ, cum hæc non oculis, sed gustu tantum percipi possit, Genesis III. sic representavit David pulchritudinem Bethsabæe multo majorem, quam revera fuerit, quasi videlicet esset pulchrior uxoribus ejus et quibuscumque aliis, etc.

II. Permixta sunt incommodis, curis et laboribus. Diabolus tamen ostendit regna eorumque gloriam, sed non eorumdem curas et pericula, ad instar fallacis mercatoris, qui mercium suarum defectus celat, bonitatem tantum seu splendorem potius jactat. Quis autem non advertit, quod quidam expertus, Antigonus videlicet, dixit filio, dignitatem regiam splendidam esse servitutem; ejus et hoc celebratur: Si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, ne humi quidem jacens tolleretur. Quod idem Seleucus dixit, vel ob eam tantum molestiam, quam habent reges in legendis et prescribendis epistolis, Cælius, libro VIII. antiq. lect. c. I. Sed omni teste major

est Salomon, qui cum omnia sibi parasset, quæ ad regium splendorem et humanam felicitatem spectare viderentur, omnia tamen invenit plena doloribus; quod longa inductione prosequitur ab experientia desumptum, tandemque concludit: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quæ paraveram, etc. vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, Ecclesiastici II. Idem postea cap. IV. testatur de aliis statibus: Verti me ad alia et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium et neminem consolatorem, etc. et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Magnam quidem pulchritudinem addebant Absaloni capilli, sed ii tamen interim gravabant ejus caput, eoque magis, quo magis crescebant, ut habetur II. Regum XIV. ita quo magis crescent divitiæ et honores, eo magis crescunt curæ, pericula, labores, adeo nihil est in mundo sincere bonum, quod bene indicatum est a sponso, cum hunc mundum vocavit hortum nucum, Canticorum VI. *Descendit in hortum nucum.* Noces enim pauca vel leviter commotæ, multum edunt strepitum, et si in terram cadant, tripudium facere videntur, ideoque forte in Romanorum nuptiis spargi solitæ, ut scribit Plinius, I. XV. c. XXII. interim tamen triplicem amarum habent corticem, a quo exui prius debent, quam edantur: ita omnia mundi bona multi sunt rumoris (ut dici solet) pauca lanæ: et imprimis triplices habent dolores ac sollicitudines, in acquirendo, in conservando, in perdendo. Versutissimus autem mercator diabolus, noces has commovendo, strepitum edit, dulcedinem eorum extollit, sed corticem amaritudinem tegit: quod etiam fecit Hebræis in deserto, cum carnes tantum et pepones gustatos in Ægypto, in memoriam eis refricabat, verbera vero et luti ac laterum labores ibidem exantlatos tacuit et abscondit, Num. XI.

III. Fluxa et momentanea sunt: ideo Sanctus Lucas ait dæmonem ostendisse Christo regna orbis terræ *in momento temporis* (forsan eo modo, quo pueri solent bullam aquæ uno fluctu excitare, quæ momento iterum perit), recte in momento, quia et in momento aufert. Inde et Sophar, Job XX. dixit: *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit et gaudium hypocritæ* (Septuaginta habent, *lætitia impiorum*) *ad instar puncti: et mox: Velut somnians non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Quod verissimum esse experiuntur omnes in articulo mortis; nam etiam qui diutis-

sime vixerunt, putant se vix paucis mensibus vixisse; ita furtim dies suos amiserunt. Et quo dies sunt jucundiores, eo citius evanescent et avolant. Hinc Job, cap. VII. *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* Radius textorius velocissime trajicitur per texturam, ut vix advertas: sic dies nostri transierunt. Quam cito mensura palmi contexta est, tam cito et una hebdomas vitæ transit: quam cito integra tela pertextitur, tam cito vita nostra finitur. Unde S. Gregor. in eum locum ait: « Sicut tela filis (intellige transversis), sic vita mortalis diebus singulis proficit; sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit. Sed contingit interdum telam textori incidi a malevolo homine, vel milite, vel ex causa ab ipso textore, cum vix palmus unus aut alter pertextus est: sic multis qui longam sperabant texere vitæ telam, inciditur in juventute, vel ætate virili, uti Ezechia regi, qui Isaiæ XXXVIII. ægrotans queritur: *Præcisæ est velut a texente vita mea: dum adhuc ordiret, succidit me.* » Ita imprimis illi, qui suam in his bonis quietem ponunt, quæruntque, momento ea sibi eripi experiuntur. Cum enim per belli labores, per mercaturam, per servitia aulica opes sibi compararunt, tunc plerumque cum iis frui volunt, sentiunt inexpectatam mortem, quæ totum illis surripit. Quemadmodum enim venator prædam ostendit canibus, ad eamque consecutandam eos incitat clamoribus, at uti eam illi assecuti sunt et dividere inter se parant, adest repente cum baculo, et contendit ora miseris, prædamque eripit: ita prorsus dæmon, qui prædam ostendit et persequi jubet, partem vero in momento surripit. Id certe contigit Sejano consuli sub Tiberio imperatore, tantæ auctoritatis, ut Romæ absente illo ageret imperatorem, aureoque in senatum curru veheretur. Sed quid? Allatæ sunt ad eum ex improvviso litteræ, quibus cum speraret dignitatem suam auctum iri tribunitia potestate, obtulit eas senatui lætissimus. Summa autem erat, ut actutum deponeretur, in vincula conjiceretur, plecteretur capite, unco traheretur, in Tiberim ageretur præceps, propter occultam perfidiam in imperatoriam majestatem, quod et factum est, ut refert Dionysius, lib. L. III. Ita Amalecites, cum prædam dividere et sedentes epulari vellent, a Davide repente oppressi sunt et cæsi, I. Regum XX. Ita dives ille, qui dicebat: *Animæ habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare,* mox tamen sequente nocte audit: *Stulte, hæc nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Lucæ XII.

IV. Pauca sunt quæ dat. Ita imprimis

tantum, quæ oculis videri poterant, Christi promisit. Deinde regna mundi tantum; de cæli ne palmum quidem. Liam ergo offert lippam et deformem, pulchram Rachelem negat, uti Laban Jacobo, Gen. XXIX. Quare si dives sis, forsitan tamen nobilis non es; si nobilis, forte pauper, aut infirmus, aut curis oneratus; si doctus, non in omni facultate; si juvenis et robustus, forte tamen imprudens et imperitus; si prudens, forte senex et imbecillus, etc. Quod si mundi dominus esses, et in omnibus fortunatus, numquid tamen ecelum haberes, numquid immortalitatem? Verum dæmon non tanta nobis ostendit aut promittit, quanta Christo promisit, omnia scilicet regna mundi: sed modica tantum lucra, modicas voluptates, modicum honoris fumum, et his tamen illecebris tam vilibus et modicis facile decipit homines. Quare sub forma meretricis describitur Apocalypsis XVII. unicum aureum poculum in manu gestare et invitare ad bibendum, imo etiam inebriare omnes, qui inhabitant terram, *vino prostitutionis suæ*, id est, delectationis mundi. Ecce quam exiguum potum quam multis propinat gentibus? Quid hoc inter tantos, ut unusquisque vel modicum quid accipiat? Et tamen hac sorbitione inescantur et inebriantur homines, ut sui suæque salutis obliti, guttulum delectationis emant pretio animæ suæ. Lysimachus rex, cum exercitum ob sitis impatientiam hosti tradidisset, postquam captivus aquam oblatam bibit: Proh, inquit, deum fidem, quam exiguæ voluptatis gratia quantum bonum, quantum regnum perdidisti meque ex rege servum fecisti! Hoc ipsum maximo animi dolore sentient ac dicent damnati. Et certe quam ipsis etiam regibus parce ministrentur mundi bona, demonstratum illo pincernæ somnio, qui videbatur sibi uvam exprimere in calicem et tradere poculum Pharaoni, quo significatur eum pristino suo pincernatus muneri restituendum, et regi more solito poculum ministraturum, Gen. XL. Sed quis hic non videt, quam modicæ sint vel ipsorum regum deliciae, quibus tam exiguum idque fæculentum vinum quasi per somnium ministratur? Spes enim mortalium, sunt somnia vigilantium, ait Plato. Ita ergo contingit etiam opulentissimis, ut licet abundant omnibus bonis, iis tamen frui nequeant. Habent præstantissima vina in cellariis suis, sed nunc ea dissuadent illis confessarii, quod officiant animæ salutem, nunc dissuadent medici, quod obsint sanitati, vile, commune et dilutum eis commendant ac persuadent. Et ita se res habet in aliis.

V. Promittuntur solum a dæmone, et sæpius

non exhibentur. *Hæc omnia tibi dabo*, ait Satan. Sed quomodo ea daret, quæ non sunt ipsius, quique nihil nisi pœnas dare potest? Quomodo ea daret, si eadem aliis possessoribus non prius tolleret? Si autem aliis ea tolleret, a suo utique servitio eos repelleret, quia nemo ei gratis seu ex amore servit. Non ergo poterat nec intendebat dare, quod promittebat. Sic promisit primis parentibus divinitatem quam nec poterat, nec volebat dare. Unde divinus ille sarcasmus: *Adam ubi es?* quasi dicat: Num in eo, qui tibi promittebatur divinitatis et scientiæ apice, ut expendit S. Chrysost. serm. contra Judæos et gentiles de nuptiis, t. III. Idem fuit spiritus mendax in ore omnium pseudoprophetarum, qui Achab regi victoriam pollicebatur de habitatoribus Ramoth Galaad, III. Reg. XXII. atque ut efficacius persuaderent pseudoprophetae, illorum unus Sedecias fecit sibi cornua ferrea, quibus undique discurrens dicebat Regi: *Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam*, quasi dicat: Tam facile ac taurus fœnum cornibus suis ventilat. Sed quam falsum istud fuerit, eventus demonstravit. Rex enim in prælio occisus est, et linxerunt canes sanguinem ejus.

VI. Caro nimis venduntur pretio, quod exigit ab ementibus dæmon, idque triplex: primum, ut sibi ipsi comparent panes, quos desiderant: *Dic ut lapides isti panes fiant*. Itaque invitat Christum, sed ad ipsiusmet Christi expensas, non adfert illi epulas, quibus statim vesci posset; sed lapides, quos vertere in panes non cujus vis erat virtutis. Eodem modo mundi sectatoribus vanales proponit opes, voluptates, honores, sed ita ut eos ipsi multo labore vel pretio comparent.

Secundum, ut mittant se deorsum, id est, ut cæci in quævis pericula ruant, adeoque neque humanam, neque divinam vindictam metuant, non curent furum patibula, latronum rotas, veneficorum rogos, parricidarum aculeos, incestuosorum gladios, adulterorum infamiam, existimationis suæ imminutionem, etc. ipsam denique gehennam spernant. Quo pretio quid durius et horribilius excogitari potest?

Tertium, ut cadentes ipsum adorent, hoc est, ut cadant a Dei amicitia et gratia in peccatum, ut excidant ab æterna felicitate, et quemadmodum ipse cecidit de cælo in infernum, ut adorent eum, qui quavis vilissima creatura vilior est factus, omnique odio prosequendus, denique ut animas ipsi suas oppignorent, donent, consecrent, pro libitu crudelissimi tyranni tractandas et cruciandas. Quis hæc audiens non horreat? Quam bene dixit Ecclesiasticus XX. *Est*

*datum quod non est utile, et est datum cujus retributio duplex*. Hoc enim modo et fine dæmon dat, ut duplum seu rem longe pretiosiores recipiat, imo septuplum, uti paulo inferius recolat: *Datum insipientis non erit utile tibi, oculi enim illius septemplices sunt*. Dat tibi vel promittit modicam voluptatem, honorem aut pecuniam, sed vicissim exigit a te septem grandia mala, curas et labores, metum punitionis, discessionem a Dei amicitia, dispendium beatitudinis, gehennæ societatem, cultum et adorationem sui, ad extremum animam tuam. Sic obtulit Evæ pomum et surripuit paradysum: obtulit Judæ triginta argenteos, et fregit illi gulam abstulitque animam; sic hodieque ludit cum omnibus peccatoribus.

Atque, ut rem totam exemplo tempori huic congruo ostendamus, proponit per quadragesimam vanales carnium esum contra Ecclesiæ præceptum, q. d. dic, ut pisces isti caro fiant, fac ut esu carniæ tuam valetudinem cures, etc. Quæso te, antequam hunc holum emas, siste parumper et considera, quid et quanti constet. Ita prudens illa mulier fecit: *Consideravit agrum et emit eum*, Prov. XXXI. Quid est igitur vanales? Carnis cibus. Quantulum est hoc, quasi vero iste cibus adeo pretiosus vel homini necessarius? Unde vixerunt homines, qui vixerant ante diluvium ad annos 900. et ultra, cum adhuc carniæ usus non usurparetur? Ergo diabolus hunc carbonem halitu suo splendere facit: mera illusio est apud plerosque non posse carere carnibus. Tenta paulisper cum Daniele et sociis, abstine a carnibus, comede legumina et alia quæ licent, et videbis nihil tibi detractum iri a tua valetudine.

Secundo, si ex una parte suave est vesci carnibus, ex altera parte amarum est separari ab Ecclesiæ communi victu et vivendi modo. Noluit bibere Alexander toto exercitu sitiante, quia soli potus non sapisset. Tu abstinate tota Ecclesia matre et fratribus tuis, solus vis comedere? Tertio, quam brevis et momentanea est ea delectatio, quam percipis ex hoc cibo? Quam exigui et pauci boli, quos tamen cum stulto Esau, qui rufam unam pulcem emit jure primogenituræ, tanto pretio emis. Quarto, aliqui eos cibos deglutire non potuerunt, vel iis suffocati sunt, uti alibi narravimus. Sed esto, satieris. Eos primo, tibi emere debes, ad hæc timere etiam ne prodaris et puniaris a magistratu. Unde cum timore et furtim totum agere debes. Das ergo te præcipitem. Denique, cadis in peccatum et gehennam, et rapis tecum, quos scandalizas. Tu ergo vile rodas os, et dæmon pretiosam rodit animam tuam: paucos devoras bolos, ut in

æternum esurias. An saccorum solemne ignoras, (verba sunt Dionis Chrysostom. orat. IV.) quod Persæ celebrant? Vincitorum, qui duci ad supplicium debent, aliquem in sella regis collocant et veste regia ornant, faciuntque ei potestatem delicate et molliter vivendi regiisque pellicibus per eos dies utendi: neque illud quisquam impedit, quominus quicquid voluerit, faciat. Deinde, exutum et flagellatum suspendunt. Quæro jam, si eandem potestatem faceret tibi diabolus simili conditione, ut postea flagelleris et suspendaris: num tibi hæc conditio placeret? At multo es audacior; suspendium inferni eligis, ubi mori voles et non poteris. Quod dico tibi de cibo vetito, idem credito de illicita voluptate, idem de injusto lucro, etc. Ergo aversemur merces diabolicas, et dicamus quod olim Demosthenes mulierculæ, pro horario usu corporis deposcenti octona auri talenta Corinthi, respondit: *Ego tanti pœnitere non emo*.

## CONCIO III.

QUANTOPERE DÆMONES METUENDI AC FUGIENDI SINT.

I. Sunt ad nocendum studiosissimi. — II. Sunt callidissimi: eorumdem technæ. — III. Sunt robustissimi. — IV. Sunt nobis infensissimi. — V. Unde odium dæmonis in homines: 1. Ex odio Dei. 2. Ex invidia. 3. Ex superbia. 4. Ut prorogent diem iudicii. 5. Ex nocendi libidine.

THEMA.

Vade, Satana. Luc. IV.

Quærat forte aliquis, cur Ecclesia initio quadragesimæ proponat evangelium de tentatore dæmone? Respondeo id facere, ut sciamus tempus hoc quadragesimale, si quod est aliud tempus esse militiæ christianæ, in quo contra dæmones spirituale bellum sumimus. Proponitur ergo nobis hostis noster, ut ejus vires et conditionem intueamur: ne temere nobis fidamus, sed salutarem potius concipiamus timorem, ne ab eo superemur. Porro ipsemet diabolus, cum videt aliquem Deo velle servire, mox contra eum in aciem prodit, et bellum ei indicit, quod facit isto tempore Christianis. Quam ob causam monuit Sapiens Ecclesiastici II. *Fili accedens ad servitum Dei, sta in timore, et præpara ad tentationem animam tuam*. Quod ut exactius fiat, videamus, quales sint hostes nostri.

Qualis et quam metuendus sit malus genius, ex ejus nominibus conjici potest. Vocatur enim tentator, quia indefessus et assiduus ad nocen-

dum : vocatur diabolus, id est, calumniator, quia astutissimus et callidissimus ad decipiendum : vocatur princeps mundi et potestas ac rector tenebrarum harum, quia fortissimus : vocatur Beelzebub, id est, vir muscarum, quia maximum habet exercitum : vocatur Satanus, id est, adversarius, quia homini infensissimus.

I. Itaque dæmones sunt ad nocendum studiosissimi et assidui, ut colligi ex hodierno evangelio potest, ubi post primum congressum irritum, adiecit secundum et tertium : denique superatus atque pulsus non recessit in perpetuum, sed ad tempus, ut ait Sanctus Lucas. Rediit enim cum per Judæos, ministros suos, Christum persecutus est ; vel juxta gl. ord. cum morienti supra brachium crucis adfuit ; et latronem reprobum cæterosque ad insultandum permovit, quo ejus patientiam tentaret. Videntur eo pertinere verba Christi Joannis XIV. *Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam.* Confirmatur exemplo cujusdam nobilis nomine Gualteri ex territorio Bonnensi ; qui decumbens vidit præsentem dæmonem in forma simiæ, inter alia sibi respondentem : Ego præsens fui, cum Dei Filius expiraret, cornua crucis occupans. Verum nihil profecimus, quin potius turbati, exagitati atque in tartaream abyssum relegati sumus, Cæsar. l. XII. cap. V. Hinc vocatur tentator, ab indefesso videlicet tentandi studio et quotidiano exercitio : sicut opifices vocantur pistores, tonsores, sartores, etc. Ob eandem causam vocantur venatores, Psal. XCX. *Ipse liberavit me de laqueo venantium* : quia uti venatores toti sunt addicti venationi, et cætera obliviscuntur, ac licet multoties nihil capiant, tamen non desperant nec fatigantur, sed prædam eras expectant si hodie fefellit : sic etiam dæmones, licet milites victi, non desistunt tamen a tentando, sed iterum iterumque redeunt, omnia tentantes. Eodem pertinet, quod ejectus dæmon Lucæ XI. *Quærens requiem et non inveniens dicit : Revertar in domum meam.* Requiem enim non invenit dæmon, cum occasionem nocendi acquirat ; hanc autem non habet in desertis locis, ubi vel nulli sunt homines, vel sancti tantum anachoretæ, apud Cassian. col. VIII. c. XVI. Dæmon per annos quindecim monacho cuidam struxit insidias ut eum ad lapsum impelleret. Imo a Divo Paulo toties profligatus, non recessit, II. Cor. XII. Provenit hæc eorum prava assiduitas, partim ex naturæ conditione, quæ otium non admittit nec petit ; partim ex odio in homines ; partim ex imperio principis eorum, qui tardantes et ignavos mulctat, ut in dial. S. Greg. videre est ; partim ex temporis brevitate,

quia scit vitam nostram brevem finemque ejus incertum esse.

Qua ex re intelligimus, quanto studio nobis vigilandum sit, quamque in bonis operibus assidui esse debeamus, qui hostes tam vigilantes tamque infatigabiles habemus. Unde merito monet S. Petrus : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, etc.*

II. Sunt callidissimi, unde diaboli vocantur, et ab apostolo ad Ephesios VI. *Spiritualia nequitia in coelestibus*, id est, spirituales nequitia in aere, seu ut alii vertunt, astutia, quasi dicat : Nequisimi nebulones. Versutissimi autem sunt partim ob naturæ subtilitatem, qua præditi, partim propter longum usum et exercitationem decipiendi. Unde passim in Scriptura vocantur nunc dracones, nunc serpentes, nunc aspides : quia in omnem sese locum vertere et insinuare possunt. Aliquot dæmonis fraudes colligi ex hodierno evangelio possunt.

Primo, occasionem tentandi ex nobis ipsis, ex nostris videlicet propensionibus vel necessitatibus accipit. Ita cum vidisset Christus diu jejunasse proindeque esurire, dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant.* Deinde, tamquam victorem tentat ambitione : *Mitte te deorsum*, uti Heronem illum eremitam maximæ sanctitatis, suadens ut se præcipitaret in puteum, fore ut non læderetur. Novit, inquit Sanctus Leo, sermone septimo de natali Domini, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ ; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat ; omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubicumque viderit studiosius occupari. Unde superbum non tentat libidine, sed honoribus ; gulosum non honoribus, sed deliciis : sic egentibus et famis necessitate pressis suadet ut furentur, occidant, se prosituant, mentiantur, fallant ; divitibus ut luxuriantur, superbiant, epulentur, etc. Hoc est quod aliquando in dæmone deprehendit S. Macarius in eremo, cum eum vidit transire juxta cellam suam, variis ampullis undique onustum ; interpellatus enim a sancto respondit se eas gestare ad certum fratrum conventum, ut pro cujusque gustu singulis offerret singulas peccati illecebras, ut refert Palladius.

Secundo, initio minora suadet et petit, quæ vix speciem mali habent, deinde ad graviora impellit. Sic primo, petit a Christo, ut ex lapide panem faciat, quod certe absque peccato fieri

poterat, deinde, suadet ut se præcipitet, quod magnam præsumptionem et ambitionem continebat, denique, ad gravissimum idololatriæ scelus provocat. Ita primo, suadet colloquia tantum cum feminis, vel sociis malis, libros obscenos, etc. Uti furi cuidam, cui fertur promississe impunitatem, ad gallinas, sed eas solas rapiendas. Fur autem cum aliquando tot rapuisset gallinas, ut portare eas nequiret, adeoque se in periculo cerneret, equum de pascuis conscendit et una cum gallinis abduxit. Itaque captus, cum dæmonem advocaret pro sui liberatione, derisus est ab eo, quod pactum non servasset, præter aves equum rapiens.

Tertio, pollicetur grandia, et jucunda, regnum, opes, gloriam : eaque ostentat ut in hodierno evangelio, sed non ostendit eorum pericula, labores, curas, vermem conscientia, gehennam secururam, etc. Quæ enim placent, monstrat ; quæ displicent, occultat. Ostendit peccati escam, sed non hamum latentem. Atque ita allicit ad casum per dulcem harmoniæ sonum, uti Nabuchodonosor per omnis generis instrumenta populam ad statuæ adorationem. Unde ait : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoreris me.*

Quarto, adhibet testimonium Scripturæ malo et depravato sensu : *Scriptum est enim quoniam angelis suis, etc.* Ubi non semel peccavit. Primo, psalmus ad litteram pertinet ad justos, non ad Christum : secundo, loquitur de viis, non de præcipitiis : tertio, quod sequitur : *Super aspitem et basiliscum ambulabis, etc.* fraudulenter reticet, utpote in se dictum.

Quinto, loca locis permutat, de deserto ad montem, de monte ad templum ducit. Uti rex Balac Balaamum varia in loca duxit, ut induceret ad maledicendum populo, Numerorum XXIII. novit enim unum locum altero convenientiorem esse ad tentandum. Ut ergo Christum de deserto in montem duxit, ubi plurima objecta placentia videre posset : sic e claustris aliquos ad sæculum, e domibus ducit alios ad convivia et choreas, ubi multa sensibus placentia inveniunt, quibus laqueis capiuntur.

III. Sunt fortissimi et potentissimi ; unde rectores mundi vocantur in sacris litteris, necnon leones et dracones magni, item fortes armati : et Job XLI. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Patet etiam ex hodierno evangelio, ubi Christum assumpsit et gestavit in altum : patet ex naturæ ejus sublimitate, quam retinet etiam post lapsum. Potest autem innumeris modis homini nocere, si permittat ei Deus, corpora

loco movere et per aerem citissime vehere, elementa commovere, creaturas mirabili celeritate immutare, etc. Sed quod attinet ad peccatum, non potest is quemquam cogere ; potest tamen primo, per objecta varia, proponendo ea voluntati, sicut proposuit Christo esurienti panem ex lapide faciendum, inanem gloriam, et omnia regna mundi. Sic decepti Evam proponendo ei speciem pomi, Esau per dulcedinem edulii, Davidem per Bethsabeam. Sed tu respondere potes : Quid sunt ista respectu Dei et honorum æternorum ? Ora etiam : Et ne nos inducas in tentationem.

Secundo, potest imaginationem commovere et immutare, sensusque interiores variis imaginibus, phantasmatis, et insomniis inquietare : ut cum orantes vagamur mente in exteris negotiis, uti sibi contigisse fatetur etiam S. Hieronymus. S. Bernardus scribit fratrem quemdam suæ familiæ istiusmodi phantasiis diabolicis, pene ad insaniam redactum esse, ser. in Psal. XC. Contra hoc telum ora diligenter et invoca angelam custodem contra angelum malum : sicut David misit Chusai contra Achitophel, consiliarium bonum contra malum, qui dissipavit consilium illius, II. Reg. XV.

Tertio, potest humores, et proinde quæ ab illis dependent, passiones hominum movere et alterare, adeoque modo ad iram, modo ad audaciam, pusillanimitatem et timorem, modo ad gaudium, modo ad tristitiam commovere. Ipse subiecit flammam impudici amoris multis, uti Sanctæ Justinae et Sancto Benedicto ; ipse somnum conciliat ignavis auditoribus subconcione, etc. Contra hoc telum fortes clypei sunt. Caro imprimis domanda, per jejunium aliasque afflictiones. S. Benedictus in vepribus se volutavit ; S. Nicetas linguam sibi morsu amputavit et in os meretricis expuit ; alii in frigidissimos lacus se immererunt vel nives. Evagrius scribit Palladius, cum se dure affligeret, et alius ei diceret : *Quiesce pater*, respondisse : *Quiescant passiones, et quiescam ego.*

IV. Sunt innumeri : unde eorum princeps vocatur Beelzebub, id est, vir seu princeps muscarum, quod tanta eorum multitudo sit, quanta muscarum æstivo tempore. S. Hieron. in ep. ad Ephes. « Hæc, inquit, omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum et terram medius dividens inane vocatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. » Cui veterum sententiæ concordant, quæ leguntur in vita S. Antonii et aliorum sanctorum. Et vero si in uno homine habitavit aliquando integra dæmonum legio, quæ continet 6666. uti Lucæ VIII.